DE IARBITA TIMAGENIS AEMVLATORE

AD LOCVM HORATII I. EPIST. 19. v. 15. EXPLICANDVM

COMMENTATIO

QVA AD

QVINQVE ALVMNORVM ORATIONES

IN

REGIA SCHOLA GRIMENSI

D. XII. APRIL. CIƆIƆCCCXXI.

AVDIENDAS

INVITAT

M. AVGVSTVS WEICHERT

RECTOR ADI. ET PROFESSOR.

GRIMAE

LITERIS GOESCHENIIS.

DE

IARBITA TIMAGENIS

AEMVLATORE.

In interpretandis Horatii carminibus plurimum interesse, ut personas, ad quas vel scripta illa sunt vel quae in iis nunc diserte nunc leviter et quasi in transitu memorantur, cognitas ac necessitudinem, quae illas inter et poetam intercesserit, perspectam habeamus, inter omnes constat. Enim vero haec res quot quantisque implicita sit difficultatibus et quam densa prematur caligine, neminem fugit, qui unquam hanc interpretationis partem tentare et has tenebras dispellere animum induxerit. Quare vehementer dolendum est, quod eorum, qui *de Personis Horatianis* scripserunt, libros a Scholiastis passim (v. c. ad I. Sat. 1, 105. 3, 21, 91. cf. Heindorf. in Argum. II. Sat. 8. p. 173.) memoratos, nobis temporum intercepit iniquitas: quo factum est, ut, quae sit poetae mens quique huius illiusve loci verus sensus atque acumen, aut prorsus nos lateat aut non nisi incerta ambiguaque coniectura constitui queat. Quod cum in universum de Horatii poematis valeat, tum praecipue in eius Satiris atque Epistolis locum habet. Non defuit quidem tractando difficili huic argumento editorum industria, in eruendo nonnullorum sensu locorum felicissima; sed nonnunquam adeo temeraria et coniecturarum ludibriis indulgens, ut ingenii confidentiam doctrinaeque copiam mireris, at iustam modestiam et circumspectionem in rerum obscurarum pervestigatione necessariam plane desideres. Proinde magnam gratiam apud eos, quibus Horatius in deliciis est, iniit Phil. Buttmannus, qui docta Commentatione in Societ. Acad. Berol. an. 1808. praelecta, (vid. *Auswahl d. Abhandl. d. K. Acad. d. Wiss. in Berlin v. J. 1804—1811. Berlin* 1815. 4.) hanc materiam subtili excussit iudicio et inter alia etiam monuit, his in rebus aliquam auctoritatem esse debere Scholiastarum testimonio. Quod quam verum sit, illustri et a nemine, quod sciam, animadverso exemplo probatum dare, apud animum constitui.

Enarranti mihi per proximum semestre meis discipulis aliquot Horatii Epistolas, in his epistolam L. I. undevigesimam, ille locus v. 15. et 16.

Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus tenditque disertus haberi.

ex vett. Commentt. notis, quantumvis laceratis, clariori luce collustrari posse, visus est. Horatius, in huius epistolae principio admirabili cum urbanitate pravum suorum aequa-

lium veteres scriptores imitandi studium perstringens, Iarbitam quendam, tanquam inepti imitatoris exemplum proponit, qui, cum Timagenem in declamando aemularetur, fuerit diruptus: cuius infelicem casum poeta tantum abest, ut aliquo misericordiae sensu contactus lugeat, ut eum veluti rem perridiculam et Maecenati non tantum, cui haec epistola inscripta est, sed omnibus, qui tum Romae vixerunt, elegantioris ingenii viris pernotam, paucis verbis significet. Quo maiorem hoc facit mirationem, eo magis operae pretium esse videtur, accuratius investigare, miser ille Iarbita cuias fuerit, et quidquid illius facti fuit, quod ab Horatio h. l. respicitur, testimoniis Scholiastarum aliorumque scriptorum locis diligenter inter se collatis, coniecturae ope eruere.

Timagenes, qui hic memoratur et de quo veterum scriptorum loca collegerunt Vossius de Hist. Gr. L. I. c. 24. p. 151-153. et Valesius ad Ammian. Marc. Lib. XV. c. 9. T. II. p. 151. ed. Wagn. haud dubie est Alexandrinus ille rhetor, qui, teste Suida T. III. p. 468. sub Pompeio M. a Gabinio captus Romam est traductus ibique a Fausto, Sullae Dictatoris filio, redemtus eloquentiam docuit. Per multos vitae casus atque impedimenta eluctatus doctrinae studiis atque urbanitate ingenii non tantum ad aliquam eruditionis et elegantiae famam pervenisse, sed in multorum etiam ac nobilissimorum virorum amicitiam se insinuasse videtur. Nam, si fides est M. Ann. Senecae Controv. XXXIV. p. 362. Bip., ex captivo coquus, ex coquo lecticarius, ex lecticario amicus Caesaris Augusti est factus. Hic enim, qui, ut constat, sua interesse censebat, magnis favere ingeniis, etiam hunc tenuis licet conditionis hominem suo dignatus est patrocinio et gratia, ex qua tamen, quum immoderata ac procaci lingua in ipsum Imperatorem, eius uxorem familiamque inter convivia et deambulandum cachinni tantum excitandi causa, ut Plutarchus de Adul. et Am. Discr. T. VI. p. 250. R. tradit, uteretur, et ne monitus quidem temeraria abstineret urbanitate, ita excidit, ut ipsi in perpetuum Augusti domo interdiceretur. Fuit homo acidae linguae et nimis liber, atque ob hanc παῤῥησίαν, auctore Suida, *Parrhesiastes* dictus, uti Demochares, Atheniensium ille ad Philippum Macedonem legatus, (vid. Cicer. de Orat. II. c. 23. ibiq. Müller p. 251.) quocum etiam a Seneca Phil. L. III. de Ira c. 23. ideo componitur. Inter plura eius scripta Quintilianus Inst. Or. X. 1. §. 75. p. 53. Sp. et Ammianus Marcell. L. XV. c. 9. p. 57. Wagn. laudant Historias, in quibus etiam res ab Augusto gestae continebantur. Has quum olim recitasset, statim combussit, iratus Caesari, cui, ut Seneca Rhetor ait, suo ingenio interdicere voluit, sicut ille domo ipsi interdixisset.

Postquam ei Augusti domus praeclusa erat, ab Asinio Pollione est exceptus in eiusque contubernio consenuit, universae carus acceptusque civitati. Vtrumque virum iunxit iunctumque in amicitia ad vitae usque finem tenuit morum quaedam studiorumque similitudo. Quemadmodum enim Pollioni aspera animi vehementia et ferocia quaedam tribuitur, (v. Plin. N. H. XXXVI. 5. p. 630. Fr.) urbanitatis tamen condimento et festivi sermonis lenociniis temperata; sic Timagenes incontinentem suae linguae maledicentiam nigrosque sales, quibus Augustum veluti perfricuerat, admirabili facundia, leporum facetiarumque plenissima, emollivisse et elegantis sollertisque ingenii laude et gratia apud omnes Romae floruisse videtur. Quare etiam ab Horatio *urbanus* et *disertus*

appellatur, eiusque facete dicta Senecae (vid. Epist. 91, §. 13.) adhuc aetate circumferebantur. Iam cum Asinium Pollionem, cuius vitam et doctrinae studia nuper docte exposuit Io. Rud. Thorbecke (Lugd. Bat. 1820.), recitationum intra privatos parietes instituendarum praecipuum auctorem et fautorem fuisse constet; facile patet, qui fieri potuerit, ut Pollioni Timagenes, vir ingeniosus, urbanus ac disertus, usque ad mortem tam carus esset; nam in agro Tusculano et, uti videtur, in ipsa Pollionis villa diem supremum obiit, post coenam vomere volens, sed cibo exitum stomachi non inveniente suffocatus, ut auctor est Suidas s. Τιμαγένης et σφηνωθείς T. III. p. 417.

Notissimus vero iste sua scripta coram aliis praelegendi mos ita usurpatus est, ut post convivia, quibus corpus refectum erat, recitandis carminibus, orationibus aliisque operibus etiam animo pabulum quoddam praeberetur: quo tendere mihi videtur huius Horat. epistolae ingressio facetissima, qua non dubium est, quin poeta istas doctas nobilium Romanorum compotationes solita urbanitate, qua ridendo virum dicit, perstringere voluerit, inprimis si huius epist. verss. 36 — 41. contuleris. In tali autem hominum elegantium conventiculo quum Timagenes magna cum arte omniumque applausu declamasset vel scriptum quoddam praelegisset; accidit, ut Iarbita, aemulationis studio incensus, illius virtutem ac laudem invitis suis lateribus aequare niteretur nimioque nisu diruptus omnibus risum praeberet. Sed de hoc infelici aemulatore, aliunde nobis non cognito, primum audiamus, quae veteres Horatii Commentatores tradant. *Acronis* nota in edit. Basil. haec est: *Hyarbita Maurus fuit regione, qui dum Timaginem philosophum post convivium et inter pocula declamantem vellet imitari et non posset, invidia quodammodo discerptus est:* in qua nota *disruptus* pro *discerptus* legendum esse, consentaneum est. *Porphyrion* prolixius sic: *exemplum stulti imitatoris interposuit. Nam hic Hyarbita Maurus fuit, qui dum Timaginem imitatur post convivium et intra pocula declamantem propter insolentiam faciendi quod conabatur, paene disruptus est. Timagines enim multos conabatur adhibere et coenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur, in admirationem sui provocasse Hyarbitam dicitur, qui se et stomachum abrupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare:* quod scholion conflatum esse e duobus, manifestum est, et fortasse var. lectio *aemula coena* pro *lingua* in MSS. Torrent. ab eodem profecta est, qui partem posteriorem huius notae scripsit. Commentator Cruq. cum Acrone verbo tenus consentit, nisi quod *ruptus est* habet et ipsum nomen *Iarbita* scripsit, quod ut veriorem scripturam primus dedit G. Fabricius, confirmatam nuper Codicum a Fea inspectorum auctoritate.

Omnes igitur in eo consentiunt, hunc hominem fuisse Maurum; illud autem in dubio relinquunt, num hicce Maurus nomen *Iarbita* tanquam proprium gesserit, an ei ab Horatio aliisve per ludibrium fuerit impositum. Tametsi prius maiorem habere videtur veri speciem; posterius tamen ut praeferam, haud vanis commoveor argumentis. Nihil dicam de ironia, quae per totam hanc epistolam fusa est, neque de ipso facto, quod risum potius, quam misericordiam Romae movisse probabilius est, quodque Horatium facile inducere potuit, ut ei nomen vel ipse affingeret novum, vel ab

aliis ei tributum et Maecenati notum, in hac familiari epistola usurparet; iam ipsius nominis insolentia, in eius forma pariter ac notione conspicua, meam suspicionem adiuvat. Non inepte G. Fabricius illud ab Iarba, Africae rege, deducit, quem Didonis amatorem atque Aeneae aemulum fuisse e Virgil. Aen. IV, 36. et 196. Ovid. Fast. III. 552. cf. Sil. Ital. I. 417. constat. Quodsi vero idem vir doctus hunc Maurum ita dictum esse opinatur, quod, ut ille Aeneam, ita hic Timagenem sit aemulatus; vereor, ne haec opinatio admodum levi, quod a diverso aemulationis studio petitur, argumento nitatur. Si tamen in re tam incerta coniectare malumus, quam ignorantiam fateri nostram, est, quod suspicemur, Maurum illum, quem hominem fastus et vanitatis plenissimum fuisse patet, suum genus de mythico isto Africae rege deduxisse, ideoque eum ridiculo *Iarbitae* nomine fuisse insignitum. Sed, quidquid est, rem conficiunt diserta vett. Commentatorum testimonia. Nam Cruquius in Auctar. Com. Vet. p. 694. haec enotavit: *Nam hic Iarbita, Maurus regione, fuit Cordus* etc. et Carolus Fea T. II. p. 231. in Ms. Ch Porphyrionis notam ita scriptam invenit: *Hic barbita maurus fuit cordus quidam timaginem imitatus.* Nemo, opinor, adeo iniquus erit in veteres Horatii Interpretes, quin huic eorum testimonio aliquid tribuendum esse fateatur, quo verum Iarbitae nomen, quod igitur *Cordus* fuit, nobis servatum est.

Cum hicce Cordus ab ingenioso Timagene coenae ac declamationi sit adhibitus, veri est perquam simile, habuisse eum ab ingenio et doctrina aliquam commendationem, licet adhuc incertum sit, rhetorne fuerit, an poeta. Neque inter interpretes convenit, quo sensu v. *rupit* sit accipiendum. Wielandus de hernia cogitat; Haberfeldus de venarum diruptione: quod praestat, et in rem suam laudare potuisset Plaut. Merc. I, 2, 27. *Tua causa rupi ramices: iam sputo sanguinem.* Equidem nihil dubito, quin de subita Cordi morte cogitandum sit, quae diaphragmatis diruptionem, ingenti vocis laterumque intentione effectam, statim sequeretur necesse erat. In qua explicatione me solennis v. *rumpere* usus confirmat. Quum v. c. Cicero in Epist. ad Marium L. VII. 1. scribit: *dirupi paene me in iudicio Galli Caninii*; nihil aliud vult dicere, quam se illius causam cum suae ipsius vitae periculo egisse. Pari modo Plautus in Prolog. Capt. 14. *Ego me tua causa, ne erres, non rupturns sum.* Et bene contra Gesnerum de hac voce disputavit Heynius ad Virgil. Eclog. VIII. 71. *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis:* quo in loco de totius corporis compage dirupta cogitandum esse, docet Ovidius Amor. II. 1, 25. *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.* Deinde, quod nemo interpretum, si recte memini, advertit, poetae nostro h. l. obversabatur fabula illa de Rana et Bove, pueris ex Phaedr. L. I, 24. nota, quam ipse Satirar. II, 3, 312. sq. exposuit, ubi v. 319. *Non, si te ruperis, inquit, Par eris.* Quam fabulam item de prava et insana Torquati et Otacilii aemulatione loquens usurpavit Martialis L. X. ep. 79, 9. *Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim; sic, puto, Torquatns rumpet Otacilium.* Cordum igitur *lingua Timagenis aemula* h. e. inepta ambitio et insanum Timagenem eiusque in declamando praestantiam imitandi aequandique studium et contentio, *rupit* i. e. effecit, ut, ruptis ilibus, miserandum in modum periret. Quodsi enim declamando ramices tantum rupisset seu herniosus abiisset, valde dubito, num hic infelix casus tantam, quantam videtur, Romae excitasset attentionem nescio dicam an

risum, adeo ut Horatius eo ad alios ab insano aemulationis studio deterrendos uti posset.

In hac loci Horatiani illustratione acquiescere possemus; at quoties eum attente perlegi, toties non potui, quin in hoc *Cordo* istum *Codrum*, Virgilio in Eclogis memoratum agnoscerem, et corruptum in Horatii Commentariis illud nomen suspicarer. Hanc coniecturam agedum, quantum fieri possit, aliquot argumentis stabiliamus.

Memoratur ille Codrus a Mantuano poeta Eclog. V. 10. ubi Menalcas Mopsum ad canendum sic invitat: *Incipe, Mopse, prior; si quos aut Phyllidis ignes, Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri;* et Eclog. VII, 21. Corydon canit: *Nymphae, noster amor, Libet therides, aut mihi carmen, Quale meo Codro concedite:* cui amoebaeis versibus respondet Thyrsis: *Pastores, hedera crescentem ornate poetam, Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.* Me neutiquam praeterit, quantum Interprr. Virgilii in eruendis, quae sub pastorum nominibus lateant, personis nonnunquam ineptierint; sed ut concedam, in nonnullis eos a vero aberrasse, tamen omnia pastorum nomina ficta esse, iure mihi videor negare. Vix memoratu dignum est, veterem quendam Commentatorem ad Eclog. V, 10. statuisse, Virgilium de Codro, Atheniensium duce eiusque iurgio in Laconum castris excitato ipsique fatali cogitasse: quae a Servio non esse profecta, patet ex nota ad Eclog. VII, 22. *Codrus, poeta eiusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.* Quae quidem adnotatio nostram ad rem maxime facit. Primum autem non dubium est, quin Codrus, qui Eclog. VII. occurrit, idem sit, cuius iurgia poeta Eclog. V. tangit. Deinde hicce Codrus describitur ut pastor canendi arte pollens, at superbus, contentiosus nullique aliquam artis laudem concedens. Ecquis vero neget, mirificam similitudinem inter Horatii Iarbitam, qui ruptus est, dum urbanus disertusque haberi volebat, et inter hunc pastorem intercedere, cuius iurgia h. e. aemulandi studium et ambitionem Menalcas i. e. ipse Virgilius (v. I. H. Vossius ad h. Eclog. pag. 233.) tanquam omnibus notam memorat? quemque Corydon adeo canendi facultate praestare ironice ait, ut se ei parem esse optet? Atque an fortuito accidisse putabimus, ut Virgilius Thyrsidem loquentem induxerit, se ita esse cantaturum, ut Codro prae invidia ilia rumpantur? Et adeone improbabile est, a Virgilio tali pastori nomen poetae cuiusdam inditum fuisse, qui illa aetate artis poeticae studium ac laudem affectaret, qui cum peritissimis et praestantissimis aequalibus de ea laude ac palma certare auderet et recitandis suis operibus ita esset intentus, ut quondam in certamine cum Timagene, egregio declamandi artifice, inito ilia rumperet? Aut egregie fallor, aut Virgilius hoc cum aliqua virtute et acumine, nec sine popularium suorum applausu fecit. Huc accedit, quod ei illa consuetudo, aequales suos ὡς ἐν παρόδῳ in Eclogis tangendi, quantumvis a bucolicae poeseos indole sit aliena, adeo propria est, ut in ea praecipuum meae opinationis deprehendam firmamentum. Et quum nihil veritus sit, Bavium et Maevium, malae notae poetas et malignos aliorum iudices, licet adhuc viverent necdum ipse lacessitus esset ab illis, (vid. I. H. Vossius ad Eclog. III, 90. p. 145.) non multo lenius, quam alterum Horatius Epod. X., perstringere, et Anserem, poetam, haud inscio animo Eclog. IX, 36. irritare: (v. Intpp. ad Propert. II. 34, 83.) quidni ausus esset, mortui Codri mentionem facere eumque suis popularibus deridendum pro-

ponere? Dolendum est, a Servio non adiectum esse Valgii locum, in quo hicce Codrus memoratus fuit: nihilosecius tamen eius testimonium magni est faciendum, quod inde constat, Codri nomen non fictum esse, uti I. H. Vossius ad Eclog. V. p. 239. contendit, sed proprium poetae cuiusdam, qui tunc temporis Romae vixerit. Et quamquam nomen Cordus in Romana historia obvium est adeoque Cremutio Cordo, clarissimo historico, (vid. G. I. Vossius de Histor. Lat. L. I. c. XXII. p. 112.) nobilitatum; tamen illa-ipsa personae reique similitudo apud Virgilium et Horatium me permovet ac veluti cogit, ut in Schol. ad Horat. mendum inesse statuam. Ceteroquin in describenda voce *Codrus* facile potuit errare librariorum calamus: quod vet. Comment. ad Iuvenal. Sat. I. 2. et III. 203. contestatur: cf. Achaintre ad priorem Iuvenalis locum T. I. p. 3. cum Valesii Not. T. II. p. 123. ed. Ach. et Ruperti eandem lectionem in Codd. invenit, temere probatam a Schrevelio et C. Barthio Adv. I. 21.

Quae igitur hactenus a nobis disputata sunt, iis probare voluimus, Horatii Iarbitam fuisse Codrum, Maurum et illius aevi poetam, qui ob ineptam aemulationem miserumque obitum, declamandi contentione effectum, tum ab Horatio tum a Virgilio acerbe derideatur. Haec quidem maximam partem coniecturis niti non diffiteor, neque tamen in iis subsistendum nobis, sed ultra progrediendum esse putamus. Etenim, rationibus accurate subductis, haud vereor contendere, huius Codri nomen posthac eam vim ac significationem obtinuisse, ut pro quovis poëta recitandi studioso ac clamoso a serioribus poneretur scriptoribus. Quamquam nescio, an viris eruditis meam probaturus sim opinionem, qua hunc eundem Horatii Virgiliique Codrum h. e. poetam isti Mauro similem ap. Iuvenal. Sat. I. 2

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?

deprehendere mihi videor; tamen, quibus illa innitatur argumentis, ea verecundia, qua nos in pervestigandis ac dilucidandis obscurae antiquitatis rebus uti decet, breviter explicabo.

Iuvenalis Editores vide quantopere sudarint, ut, quis ille Theseidos auctor fuerit, indagarent! Alii Codrum Graecum fuisse poetam ex Satir. III. 206. colligere volebant; alii nobilem quendam Latii vatem designari opinabantur, hanc ipsam ob caussam, quia fuerit nobilissimus, a Iuvenale Codri insignitum nomine: quam opinionem merito iam Lubinus p. 26. ed. Hannov. 1603. 4. improbat, monens, ex Satira III. liquere, Codrum obscuri nominis fuisse Romae poetam itemque pauperem, de quo etiam Martialis L. III. ep. 15. sit intelligendus. Adde eiusdem poetae L. II. ep. 56, 4. V. ep. 27. in quibus poematiis Codri cuiusdam sordida notatur paupertas: quae si comparaveris cum Iuvenal. Sat. III. v. 203—8. ubi cognominis poeta ob paupertatem et mala carmina perstringitur, Lubino assentiri, nihil, credo, dubitabis. Nam quo pacto Ruperti T. II. p. 7. ed. 2. ex h. l. colligere potuerit, Codrum videri haud malum fuisse poetam, equidem, ut aperte dicam, non exputo, et si *divina carmina* v. 207. in eius laudem memorata acceperit, manifesta totius loci ironia prorsus eum latuit.

Iam ut verum sit, Iuvenalis et Martialis Codrum unum eundemque esse, tamen nemo fortasse sibi persuadere poterit, hunc *raucum Codrum*, Theseidos auctorem,

esse nomen fictum, poetae cuidam impositum, qui intempestivo declamandi et sua carmina recitandi studio Iarbitae Horatiano haud dispar fuerit. Hunc autem sententiam tum in universum firmat Iuvenalis mos, quo hominibus, quos vel ob morum pravitatem vitaeque turpitudinem vel propter perversa literarum studia sugillare vult, nunc alia nomina indidit, nunc a vitiis aliisque rebus, quibus essent notabiles, designat, quo tutius eos Satira sua secaret, tum inprimis Satirae I. principium comprobat, in quo, praeter Codrum, in alios suae aetatis poetas ob importunitatem, qua alios recitandis suis operibus propemodum enecarent, nullius nomine diserte addito, summa indignatione et acerbitate invehitur. Horum vera nomina, in quibus eruendis nunc frustra sunt, qui operam insumant, faciliori indagare possemus negotio, si carmina ipsa, quae Iuvenalis partim vero nomine partim universe significat, nostram tulissent aetatem. Servatis enim Valer. Flacci Argonauticis, non incerta est P. Burmanni ad L. I, 145. et V, 642. coniectura, hunc poetam a Iuvenale inde a v. 7. carpi: etsi ridiculum est Passeratii Quaes. p. Epist. 11. et 14. commentum, quo Valer. Flaccum sub Monychi nomine latere statuit. Quod autem proprium huius Codri nomen fuerit, id nemo facile dixerit, praesertim quum res a Theseo gestae, ut alia id genus argumenta, illo tempore et epicis et dramaticis poematis celebratae fuisse videantur. Suspicatus quidem est Scaliger in Scaliger. p. 77. huius Codri Theseidem et Marsi Amazonidem, a Martiale L. IV, p. 29, 8. memoratam, unum idemque eiusdem poetae esse opus; sed haec coniectura acutissimi viri est vanissima, qui saltem a Martialis loco emendatricem manum abstinere debebat. Et si Iuvenalis aetate vere poeta vixisset Codri nomine dictus, non dubium mihi est, quin aliqua de eo fama aliunde ad nos pervenisset. At memorat eum Martialis? Verum enim vero, qui Martialem bene novit, is contendenti mihi non refragabitur, ab hoc etiam illud nomen ei, quem in cit. Epigr. multo sale perfricat, per ludibrium esse affictum; quod deinceps clarius patebit.

Namque verissime iam a C. Barthio Adv. I, 21. observatum est, plura nomina esse κῶφα πρόσωπα in veterum poetarum carminibus, ut qui personas, quas mente habuerunt, proprio nomine appellare vel erubescerent vel poenae invidiaeque metu timerent vel alia quacunque de causa tacere mallent. Locupletissimus huius moris testis est Apuleius in Apolog. p. 279. Elm. loco notissimo. Hic, quia crimini ipsi datum erat, quod pueros amatos aliis nominibus vocarit, clarissimorum poetarum exemplo se excusat, monens, Catullum pro Clodia Lesbiam, Ticidam (vid. Casaubon. ad Sueton. d. ill. Grammat. c. 11.) Perillam pro Metella, Propertium pro Hostia Cynthiam, Tibullum pro Plania (s. Plautia v. Elmenhorstii Not. p. 327. et inpr. Spohn d. A. Tibulli Vit. et Carmin. Disp. P. I. p. 44.) Deliam nominasse et Virgilium As. Pollionis filium a se amatum, dissimulato nomine, Alexin vocasse, et reprehendit Lucilium, quod Gentium et Macedonem pueros directis nominibus carmine prostituerit. Hanc nominum permutationem semper fecerunt eodem syllabarum numero; ut Acro ad Horat. Sat. I, 2, 64. animadvertit, cuius notam docte illustravit Bentleius ad Horat. Od. I, 12, 13. acute observans, ficta illa nomina cum rectis non solum numero, sed etiam syllabarum quantitate convenire. Hocce autem modo apud illos poetas *rebus aberat nomen, nominibusque pudor*, ut scite Ovidius Trist. II, 434. de eodem more canens ait. Illud etiam hac in re dignum est

animadversione, quod recta nomina Latina plerumque cum Graecis fuerint commutata: quem morem e literarum Graecarum studio, quod commemoratorum poetarum ad Graeca exempla se componentium auctoritate Romae illo tempore effloruit et, rigentibus licet cascae antiquitatis admiratoribus, feliciter propagatum est, deduco. Nonnunquam tamen ipse Horatius ab hoc usu discessit, quippe qui Gratidiam, unguentariam, Neapoli ortam et olim a se amatam, Latina Canidiae appellatione dissimulavit: vid. inpr. Heindorf in Argum. Sat. I. 8. p. 173.; cuius rei causam Buttmanni l. c. p. 30. acumen detexisse mihi videtur, qui Horatium, quum proprio nomini *Gratidiae* gratiae et venustatis notio inhaereret, ideo id mutasse statuit in *Canidiam*, ut canitiei et turpis senectutis maculam et infamiam ei adspergeret. Huc etiam referendus est Catius ille Satir. II, 4. sub quo Maecenatem latere suspicatur Heindorf. in Argum. Sat. p. 537. Eundem Maecenatem ab Horatio, qui, ut Persius I, 130. ait, *Omne vafer vitium ridenti — amico tangit*, Sat. I, 2, 25. *Malthinus tunicis demissis ambulat*: graeco nomine significari, monuerunt iam Acro, Porphyrion et Schol. Cruquii: quorum testimonium, dissentiente quidem Bentleio, cui nuper Car. Fea T. II. p. 14. adstipulatus est, nostra memoria docte tuiti sunt Heindorfius p. 54. et inprimis Buttmannus, p. 32. Quemadmodum autem egregio huic viro in iis, quae de Malthino h. e. Maecenate, et de Licymnia i. e. Terentia, Maecenatis uxore, (v. Intpp. ad Horat. Od. II, 12. 13.) disputat, prorsus accedo; ita dubito, an huc cum Bentleio trahi possit Persius Sat. I, 121. *Auriculas asini Mida rex habet*: quod cum ad Neronem referri proque *Mida rex* facile *Nero rex* substitui posset, Cornutus, imperatoris crudelitatem expavescens, in *Auriculas asini quis non habet* mutasse fertur. Nam huius vulgaris fidem traditionis partim ea, quae Passovius ad h. l. p. 351. monuit, partim alia, quae exponere non huius loci est, suspectam reddunt adeoque penitus evertunt.

Sed afferenda sunt alia exempla, quae scriptionis meae finem propius spectant. Nasidienus, ad quem ab Horatio scripta est Satira VIII. L. I., homo dives, inelegans et in memorandis lautitiis suis putidus, Lambino p. 190. nemo videtur esse alius, quam Salvidienus Rufus, de quo Suetonius Aug. c. 66. ibique Interprr. egerunt. Hanc Lambini suspicionem iure amplexi sunt Heindorfius in Argum. p. 425. et Buttmannus p. 21. eamque idoneis argumentis valde probabilem reddiderunt. Non alibi occurrit Nasidieni nomen, nisi ap. Martialem L. VII, ep. 53. qui nimirum, si recte coniicio, illud ab Horatio mutuatus, inepto parasito imposuit, in quem scriptum est hoc epigramma. Videlicet poetae Satirici seriores, Horatium, tanquam summum in hoc poeseos genere exemplum secuti, tum alia multa eius carminum loca imitatione expresserunt, tum etiam nomina propria personarum mutua sumserunt, quae virtute vitiove aliquo insignes a Venusino poeta vel recto vel ficto nomine essent celebratae et ita ad posteritatis memoriam pervenissent. Ita, ut paucis exemplis defungar, Maecenas, ille Malthinus Horatii, quem otio et mollitiis in habitu, oratione et tota vita paene ultra feminam fluentem dixit Vellej. Paterc. I, 88. (vid. Ruperti ad Iuvenal. I, 66.) a Iuvenale Sat. XII, 39. pro mollissimo quoque atque effeminatissimo ponitur. Inclaruerat Horatii aetate medicae artis peritia Craterus, quem cum laude memoratum legimus Satir. II, 3, 161. Huius viri nomen pro experientissimo medico usurpavit Persius III, 65. *Et*

quid opus Cratero magnos promittere montes. Huc pertinet etiam locus Horatii Epist. I, 15. 36. *Scilicet ut ventres lamna candente nepotum Diceret urendos corrector Bestius. Idem Quidquid erat etc.* ita enim h. locum legendum esse censeo, Bentleium secutus, cui frustra in verborum interpunctione renititur Fea T. II. p. 227. sq. In editis vulgo *Maenius*, pro quo Bentleius feliciter *Bestius*, e Codd. restituit, cui emendationi multi a Fea inspecti Codd. favent. Maenio enim, lurconi et scurrae notissimo, qui hac ipsa in epistola v. 26. sq. describitur et alibi v. c. Sat. I, 1, 101. ibiq. Heindorf. p. 22. memoratur, non locus hic esse videtur. De Bestio Schol. Cruq. *Bestius nomen parcissimi cuiusdam Romani.* Aliunde de eo nihil nobis constat: sed quis est, qui dubitet, quin Persius Sat. VI, 37. *Sed Bestius urget Doctores Graios:* hocce nomine in universum usus sit ad denotandum hominem inhonestae deditum parsimoniae atque avaritiae?

His exemplis sat perspicuis probare volui, serioris aetatis poetas ab antiquioribus nonnunquam nomina personarum esse mutuatos, si quam inter homines, quos veteres descripserant, atque eos, quos ipsi vellent notare, deprehendissent similitudinem, illisque inductus sum, ut suspicarer, Juvenalem Codri nomen a Virgilio mutuum sumsisse ad significandum poetam malum et recitandi atque ad ravim declamandi studiosum. Indignabundus in fronte Satirae statim in eum irruit Iuvenalis et semet ipse reprehendit, quod, toties ab illo vexatus, nihildum reposuerit nec cum tam pinguis ingenii poeta, atque audacis et impudentis animi homine descenderit in certamen. Non secus Sat. III. miselli poetae divina carmina h. e. omnium ineptissima, itemque sordidam eius paupertatem cum fastu quodam coniunctam perstringit, uti eundem Martialis suorum aculeis epigrammatum pungit.

Sed haec, quae breviter disserui, a me scripta sunt in discipulorum meorum gratiam, quos in explicandis Horatii Epistolis per praeterlapsum superioris semestris spatium habui auditores, et ex quorum numero iam quatuor in procinctu sunt Scholae nostrae valedicere, in Academiam Lipsiensem abituri. Qui cum omnes severo frugiferoque literarum et bonarum artium studio et laudabili vitae ad honestatis normam moderandae constantia, quoad nostra uterentur disciplina, conspicuos se praebuerint; tum inprimis tres eo nomine iusta laude mactandi sunt, quod partim suapte animi inductione, partim me auctore et impulsore, legitimi sexennii tempus nostro in contubernio transegerunt: quo factum est, ut non modo idonea doctrinae facultate instructi, sed etiam, quod maius, opinor, est, fortiores in regundo animo et firmiores adversus omne illecebrarum genus liberiora vitae academicae spatia ingrediantur. Atque duo eorum vitae per sex annos laudabiliter apud nos transactae praemium tulerunt optabile et perquam honorificum, quippe quos Summus Senatus Ecclesiasticus, quae est eius in nostram scholam propensissima voluntas, intercedente magistrorum commendatione, regio stipendio ornarit, tertio, si petiisset, idem beneficium non denegaturus. Inde autem haud exiguam splendoris ac commendationis accessionem habiturum esse speramus actum oratorium, d. XII. April. instituendum, in quo quatuor illi iuvenes, Scholae valedicturi, hoc ordine prodibunt:

FRANCISCVS EDVARDVS WEISSBACH, *Doebelensis*, qui, quamdiu noster fuit, summa honesti decorique cura et fructuosissima industria inter aequales eminuit,

nobis ob animi candorem prae ceteris carus, et recitata oda Graeca *de Germania*, alma virorum eruditorum matre, a nobis discedet, Lipsiae Theologicis studiis se daturus. Huic succedet

FRIDERICVS GVILIELMVS FRANCISCVS KUEHNEL, *Nerchauiensis*, magna industriae morumque bonorum laude condecorandus, cui etiam, ut antecessori, contigit esse tam felici, ut academicum stipendium ipsi conferretur: cuius beneficii magnitudinem quum totus persentiscat, gratissimi animi sensus patefaciet oda Latina de *Friderici Augusti*, *Regis Optimi*, *laudibus*, et ad addiscendam Theologiam in Academiam abibit. Post hunc surget

HENRICVS TRAVGOTT NOA BRUEKNER, *Koenigsteniensis*, iuvenis ob ingenuam animi indolem et morum gravitatem et honestatem nobis admodum probatus, qui oratione Latina *de verae industriae*, quam ipse nunquam non secutus est, *fructibus* habita, Scholae valedicet, Iurisprudentiae animum applicaturus. Hunc excipiet

MAVRITIVS CLAVSS, *Palaeo - Lisnicus*, qui, impetrata maturioris discessus venia, *Certamine Horatiorum et Curiatiorum* epicis versibus descripto, nobis valedicet, ad Themidos sacra Lipsiae colenda, nec laetissimam spem, quam de eius animo ingenioque concepimus, frustrabitur. His quatuor Alumnis, in Academiam discedentibus, commilitonum nomine faustissima quaeque apprecabitur optimae spei iuvenis,

CAROLVS EDVARDVS KIRSCH, *Lipsiensis*, et vernaculo carmine *Fata mirabilia Notburgae, Dagoberti, Francorum regis, filiae*, canet.

His iuvenum ornatissimorum orationibus ut frequentes atque aequo animo adsint omnes, qui nostrae Scholae, eiusque rebus ac studiis favent, opto, eosque humanissimis verbis invito. Dab. Grimae Prid. Non. April. cIↄIↄcccxxi.